cus, quam illarum vis (*) ferebat. Cicero locuples est testis lib. II. de Leg. cap. 8. *Ad Divos caste adeunto:* paulo post: *Divos, & eos, qui cœlestes semper habiti, colunto, & ollos, quos endo Cœlo merita vocaverint:* mox: *Quæque, quoique Divo grata sint hostiæ, providento, Divisque, aliis Sacerdotes, omnibus Pontifices, singulis Flamines sunto.* & cap. 9. *quibus Divis creverint:* deinde: *eamque cum Divum honore jungunto.* Ac quamquam Cicero, ut ipsemet testatur, leges has legum voce proposuerit, hoc est verbis paullo antiquioribus, quam communis sermo esset, quo plus auctoritatis haberent, tamen suâ etiam ætate *Divos* pro *Deos* dici consuevisse, inde intelligere possumus, quod idem Cicero ita alibi loquatur de Nat. Deor. lib. II. c. 2.: *Sed quod præsentiam sæpe suam Divi declarant;* ne Poetas Ennium, Lucretium, Catullum, Virgilium, aut posteriores alios, in partes traham.

Hoc itaque posito, facile intelligitur, quamobrem Imperatores seu viventes privatâ adulatione, seu defuncti publica auctoritate, *Divi*, & *Dii* appellati sint: quum enim vulgo hæ voces sine discrimine usurparentur, adulatores non gravate Cæsaribus augustius nomen detulerunt. Inde ara Veronæ DEO AVGVSTO, eodem, ut arbitror, vitâ functo, posita, quæ bis in Grutero occurrit pag. XVII. 11. LXXXVIII. 11.: inde Coloniæ Tarraconensis nummi, cum epigraphe DEO AVGVSTO, post illius obitum indubie percussi. Quid jam Græca numismata commemorem, aut Grecos Scriptores, qui licet vocem Ἥρως haberent, qua consecrati, (**) seu per Apotheosin in Deorum numerum relati appellabantur, defunctos tamen Augustos, omnes fere, Θεοὺς dixerunt? Ac, ut a Grecis, & a Coloniis recedamus, quarum monumenta haud idonea esse idem Spanhemius censuit, ad id profecto, quod intendimus, confirmandum satis esse potest communis ipse sermo Romanorum, qui *Divos* Augustos, frequentissime *Deos* dicebant: hinc *in Deorum numerum relati* dicuntur Sveton. in Jul. cap. 88. in Claud. cap. 35. *in Deos*, seu *inter Deos referri* Sveton. in Aug. (***) cap. 97. Capitolin in Pertin. Spar-

(*) *Docuit enim Servius* Deos æternos, *dici*, Divos vero, qui ex hominibus fiunt.

(**) *Ita in rarissimo, ac singulari nummo ab Antonio Gallandio Smyrnæ inspecto inscribitur Hadrianus* ΗΡΩΑ . ΑΔΡΙΑΝΟΝ, *quemadmodum ipse testatur in dissert. de Num. Panibeo pag.* 26., *& inde Vignolius de Columna Antonini Pii Cap. V.*

(***) *Ita ad rem facit iste Svetonii locus, ut omnino describi mereatur.* Sub idem tempus ictu fulminis ex Inscriptione Statuæ ejus, prima nominis litera effluxit: responsum est centum solos dies posthac victurum, quem numerum C litera notaret, futurumque, ut inter Deos referretur, quod æsar, idest reliqua pars ex Cæsaris nomine Etrusca lingua Deus vocaretur.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/abati_olivieri_giordani1738/0114
© Universitätsbibliothek Heidelberg
The Getty